



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illo qui in suo predio Ecclesiam ædificare desiderat. vii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Ut nullus Ecclesiam ædificet, nisi ille cui episcopus loci locum designauerit. Cap. VI.

Ex cõcil. Aurelia nen. ca. 3. **N**EMO Ecclesiam ædificet antequam ciuitatis episcopus veniat, & ibidem crucem figat publicè, & trium designet, & ante præfinit, qui ædificare vult, quæ ad luminaria, & ad custodiam, & stipendia custodum sufficiant, & ostensa donatione sic domum ædificet. Et postquam consecrata fuerit, atrium eiusdem Ecclesiæ sancta aqua conspergat.

De illo qui in suo prædio Ecclesiam ædificare desiderat. Cap. VII.

Ex cõcil. Vvorma- ciensi, ca. 6. **Q**VICUNQUE voluerit in sua proprietate Ecclesiã ædificare, & consensum, & voluntatem episcopi habebit in cuius parochia fuerit, licitum sit. Veruntamè omnino præuidendum est episcopo, vt aliæ Ecclesiæ antiquiores, propter nouas suam iustitiam, aut decimam nõ perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias perfoluatur.

Ut omnes Ecclesia in illius episcopi potestate sint, in cuius territorio posita sunt. Cap. VIII.

Ex cõcil. Aurelia nen. ca. 1. **O**MNES basilicæ, quæ per diuersa loca constructæ sunt, vel quotidie constituuntur, placuit secundum priorum canonum regulam, vt in eius episcopi in cuius territorio posita sunt, potestate consistant.

Ut antiquæ Ecclesiæ possessionibus suis propter nouas non spolientur. Cap. IX.

Ex cõcil. Meldesi, cap. 8. **V**T Ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec decimis, nec vlla possessione priuentur, ita vt nouis oratoriis tribuatur.

De Ecclesiis & altaribus, vbi aliqua dubitatio est de consecratione, vt consecrentur. Cap. X.

Ex eodẽ concil. ca. 45. **V**T Ecclesiæ vel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur, & vt superflua altaria destruantur.

Si altare motum fuerit, denudò Ecclesia consecretur. Cap. XI.

Ex decr. Ygini pæ. ca. 4. **S**I motum fuerit altare, denudò consecretur Ecclesia. Si parietes mutantur, & non altare, salibus tantum excizetur.